Bartoszewski Ferdinandi: Philosophia rationalis.



A. Tarasewicz sculp.

Illustrissimo, & Reuerendissimo Dño,

D. NICOLAO OBORSKI,

DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ,

EPISCOPO LAODICENSI,

SUFFRAGANEO, SCHOLASTICO,
& in Spiritualibus VICARIO, & OFFICIALI
GENERALI CRACOVIENSI,

Domino, & Patrono Munificentissimo.

CVltissimarum in Orbe Sarmatico literarum, ea licet sit felicitas & gloria, quòd eruditiores & sublimiores æstimentur, si tuo ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME PRÆSUL, *celeberrimo insignitæ Nomine, publicum veniant in conspectum: imperfecta tamen, & minùs exacta hæc, Philosophicarum Conclusionum structura, veretur, metuitq́, ad tanti Nominis amplitudinem accedere; nè splendore illius citiùs absorbeatur; quàm publicæ luci innotescat. Et profectò, iusta hæc, debitaq́, formido est, cùm prærogatiua magnitudinis tuæ ea sit; vt ad eam celebrandam, maxima quidem ingenia accurrant, sed impari ausu fatigata, sæpiùs cum viribus suis, grauiori Censuræ obijciantur; quàm Sacrorum in Ecclesia DEI operum tuorum æternitati, aliquid adijciant; adeò, vt certior sit, in magnum Nomen Tuum, reuerentia & pietas; quàm inconditus calami stylus. Si tamen ab hoc Nomine absorberi, confundiq́, gloriosum est, in cuius magno sinu gloria literato opere elaborata, securè semper quieuit, imò, in quo digniorem valoris sui censum, inuenit, pronus ego ac venerabundus, in Sapientissimo pectore tuo, Philosophicas has concertationes depono. A sacro enim Nomine Tuo pondus suum, & gratiam accipient, cùm ex eo fonte promanârint, qui gratiarum tuarum magnitudine, toties coronatus,*

tus, cælitùs Te sibi datum veneratur; ex quo, in Celeberrimam hanc Sapientiæ Matrem, Vniuersitatem Cracouiensem, literasq; eius Academicas, ingens patrocinium, assiduum conseruationis eius studium, maximo, effusoq; semper affectu, profluit. Ipsa certè Diuinioris operis Tui amplitudo, & excellentia; quâ D. JOANNEM CANTIUM, *Vniuersitatis Cracouiensis Patriarcham, & Regni Patronum, propè iam ad Sacræ Apotheosis Coronam sublimasti, summum tuum in res Academicas affectum, maximumq; patrocinium loquitur. Quando singulari tua prudentia, & incomparabili labore, hoc perfecisti; vt quam pridem expectabat, inter Beatos Confessores desideratissimam cooptationem, tua insigni authoritate, & opera, à S. Sede Apostolica reciperet. Prouexisti hoc in opere, Academiam Cracouiensem, ad Sacrum gloriæ verticem, gentibusq; etiam exteris ostendisti, eam non magis literarum, quàm omnis Sanctimoniæ esse Parentem: sed & æternum hoc in te eius obsequium firmasti; vt omnia eius ingenia, quæ bono publico fouet, quidquid in literis possunt totum id honori Tuo, & amantissimo in se pectori impendant. Sed venit huc Minimus quoque Ordo Noster, cuius Beatissimum* DEI *Seruum* MICHAELEM GIEDROC *in publicam venerationem, dum illustriùs produxisset,* OBORSCIANA *Pietas declarauit profectò, Ordinem nostrum, & Conseruationem suam, rebus in arduis Tibi debere, & reflorescentem eius gloriam, tuo candidissimo cedere Lilio. Cuius odoriferis ac beneficentissimis gratijs animatus, tuo sub patrocinio viuere, augeri, & instituti sui sacras regulas tueri, desiderat. Iam proinde exiguam hanc philosophicæ disceptationis opellam, permitte tuo Magno Nomine,* ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME PRÆSUL *insigniri. Eant interim Tibi aurea vitæ sæcula, summamq; hanc Ecclesiæ* DEI, *in tuo Nomine gloriam, magnamq; Academiæ Cracouiensis, & Sacri Ordinis mei, felicitatem, amplissimis bonorum incrementis, in tua Præsulea dignitate prouectam, boni superi, diuturnam esse velint; vt qui ad immortalitatem, aliorum gloriam efformas, ipse inter triumphales Ecclesiæ* DEI *Coronas, æternùm perennes.*

Illustrissimæ & Reuerendissimæ
Dominationis Vestræ,

Seruus Humillimus,

Fr. FERDINANDVS BARTOSZEWSKI,
Ord: Can: Regul: BB. MM. de Pœnitentia.

CONCLUSIONES
EX VNIVERSA
PHILOSOPHIA RATIONALI.

I.

DAri Logicam, ipſa quotidiana vnius ex altero inferendi experientia, euidenter docet. Quæ in omni ſua latitudine accepta diuiditur in Docentem & Vtentem: Ità, vt iſti duo habitus inter ſe realitèr non diſtinguantur; Sed ſint duo officia eiuſdem habitus. Et Docens quidem eſt verè Scientia; vtens autem nonniſi in obliquo, ambæ tamen conſtituunt, vnam Philoſophiæ ſubiectiuam partem.

II.

SVfficientèr illius dignitas ex eo cognoſcitur, quod ità ſit Scientia ſpeculatiua; vt nulla ratione poſſit eſſe practica, nec ſimul ſpeculatiua & Practica. Ideò quia habitus practicus, non ex quacunque relatione, ad opus & praxim, ſed ex natura ſua ordinatur. Nec qui producit effectiuè actionem, ſed qui effectiuè producit opus ipſum alterius potentiæ ab intellectu, quod à ſpeculatione diſtinguitur.

III.

QVia ſine artificiali Logica cæteræ Scientiæ nec comparari, nec conſeruari poſſunt; ideò in illis comparandis, Logicæ eſt maxima neceſſitas. Vnde homini eſt neceſſaria formali neceſſitate; habet enim ad illius acquiſitionem, inclinationem naturalem. Hæc verò neceſſitas illius, magis ad ſpeculatiuas, quam Practicas requiritur Scientias.

IV.

NEc operationes mentis, aut ex illis aliquid conflatum, nec res abſolutè ſumptæ, aut vt ſubſunt ſecundis intentionibus, nec Ens rationis reſtrictum ad argumentationem, Demonſtrationem, & modum ſciendi ac diſſerendi; ſed Ens rationis vt poſitiuum, & vt conſequitur cognitionem intellectûs, eſt obiectum formale Logicæ, ideoque ſecundum vnitatem & formalitatem obiecti, eſt vna ſpecie.

V.

COgnitio Entis rationis, proximum, & directio intellectûs nè erret in Concluſionibus, remotum, induit Logicæ Docentis finem. Vtentis verò proximus finis eſt, conſtructio Definitionis, Diuiſionis, & Argumentationis. Sicut & remotus, eſt cognitio illorum, quæ per iſta inſtrumenta haberi poſſunt.

 VI. Ens

VI.

ENs rationis Logicum, condistinctum à reali datur. cui etsi non sit essentiale sed accidentarium fingi; attamen hoc illi necessariò conuenit. Et ideò Ens rationis est id, quod consequitur rem vt est obiectiuè in intellectu. Beneq; diuiditur, quatenus habet fundamentum in re, in Priuationem, Negationem, & Relationem. Actio intelligendi, locutio interior, seu verbum mentis, non sunt entia rationis, sed entia realia: sicut nec aliquid conceptum vt existens, tùm, dum non existit, possibile tamen est vt existat à parte rei, est ens rationis. Hoc Ens rationis non consistit in denominatione extrinseca, sed in quadam entitate Metaphorica, resultante in obiecto cognito. Et cognoscitur per speciem suam expressam, existitque per similitudinem quandam tunc, dum terminat cognitionem intellectûs, illud ad modum entis realis cognoscentis. Nulla sensitiua potentia tam interior quā exterior, præter intellectum, potest illud formare, imò ita illud format humanus intellectus; vt hoc nequaquam Diuino, aut Angelico intellectui conueniat.

VII.

VNiuersale materialiter sumptum, hoc est natura Communis, datur à parte rei in singularibus; separatum tamen ab illis non datur. Causa eius materialis, est natura realis in essendo & prædicando. Formalis verò, est secunda notio obiectiua, quæ est in natura per modum aptitudinis in multis inferioribus essendi & prædicandi de illis. Et tale vniuersale non est vox, aut conceptus mentis, sed id, quod per vocem & conceptum denotatur.

VIII.

NAturæ vniuersales non distinguuntur à suis singularibus distinctione ex natura rei, sed distinctione virtuali, seu rationis ratiocinatæ. Vnde & gradus Metaphysici sola ratione ratiocinatâ distinguuntur. Et ideò peremptis singularibus, vniuersalia pereunt & quò ad essentiam, & quò ad existentiam; manent tamen, quò ad veritatem Propositionis. Porrò hæ naturæ vniuersales, non sunt vniuersales positiuè; sed tamen negatiuè.

IX.

DAtur Vnitas formalis à parte rei, ante operationem intellectûs. illa tamen quantùm ad realem entitatem, non est Communis positiuè; sed tantùm negatiuè pluribus indiuiduis. vnde natura Communis, antequàm existat in singularibus nullam habet actu vnitatem. Et licet vnitas formalis sit minor numericâ, attamen vnitas formalis nec distinguitur realiter ab vnitate numericâ, nec formaliter ex natura rei, sed solum ratione ratiocinata. Multiplicatur verò vnitas formalis, ad multiplicationem vnitatis numericæ.

X.

VNiuersale Metaphysicum, fit per actum absolutum intellectus nostri, abstrahentem Naturam ab inferioribus, tam abstractione positiuâ, quam negatiuâ. Vniuersale verò Logicum, fit per actum intellectûs nostri simplicem comparatiuum. Et istius adæquata Proprietas est prædicabilitas, rectèque diuiditur in quinq; Prædicabilia, quatenusq; tantum sumitur formaliter, est Genus ad illa.

XI. Ge-

XI.

GEnus rectè secundùm Porphyrium definitur, quod sit id, quod prædicatur de pluribus specie differentibus, in eo quod quid est; illiusque definitum est intentio secunda, vt connotat naturam. Licet verò acceptum logicè vt est vniuersale, non possit conseruari in vnica specie, de qua prædicatur, non vt pars sed vt totum; sumptum tamen vt est totum actuale, benè saluatur in vnica specie.

XII.

RElationes generis ad species & indiuidua, diuersæ sunt speciei: ordine enim intentionis, prius respicit indiuidua quam Species, ordine verò Executionis, prius species quam indiuidua. Sumitur autem Genus in substantiis materialibus, à materia, & differentia à forma: in immaterialibus verò, Genus & Differentia sumuntur à tota essentia.

XIII.

BEnè est definita Species à Porphyrio, & constituitur in esse vniuersalis; non per relationem subiicibilitatis; sed per respectum ad plura, & prædicabilitatem. Diuiditur in Prædicabilem & Subiicibilem. Relatio tamen subiicibilitatis in specie essentialiter distinguitur, à relatione prædicabilitatis.

XIV.

NOn repugnat naturam Angelicam, secundùm quod à nobis pro hoc statu ad modum rerum corporearum cognoscitur, posse esse speciem prædicabilem. Nihilominùs quidditatiuè, non potest cognosci vt vniuersalis. Et ideò species Logicè considerata, non potest conseruari in vnico indiuiduo, benè tamen conseruatur Metaphysicè sumpta.

XV.

INdiuiduum primò intentionaliter acceptum, est id, cuius omnes proprietates simul sumptæ, alteri conuenire non possunt. Secundò intentionaliter verò est id, quod de vno solo prædicatur, cuius differentia non est de essentia indiuidui, sed tantùm de complemento eius.

XVI.

DIfferentia est id, quod prædicatur de pluribus, & differentibus Specie in eo quod quale quid est, rectèque diuiditur in Communem, Propriam, & Maximè propriam; estque vniuersalis, non in ordine ad speciem, sed in ordine ad indiuidua speciei. Et differentiæ superiores, non includuntur in differentiis infimis, attamen differentiæ inferiores sunt perfectiores superioribus.

XVII.

PRoprium constituitur in ratione quarti prædicabilis, per ordinem ad indiuidua speciei, benèque definitur quod sit id, quod prædicatur de pluribus differentibus numero in quale accidentale inseparabiliter conuertibiliter. Sicut & accidens est id, quod abest & adest sine subiecti corruptione: estque aliud Separabile, & aliud Inseparabile; rectèque constituitur in ratione Vniuersalis per respectum ad subiecta, ex quorum existentiæ destructione, non destruitur Vniuersalitas eius, prædicatur enim de subiectis non tantùm existentibus, sed & possibilibus.

XVIII.

VNiuoca dicuntur, quorum nomen est Commune, ratio vero substantiæ nomini eadem accommodata. Æquiuoca quorum nomen est Commune, ratio verò substantiæ nomini diuersa accommodata. Denominatiua verò, quæ à casu aliquo habent nominis appellationem. Analoga quoque sunt ea, quorum nomen est Commune, ratio verò nomini accommodata partim eadem, partim diuersa. suntque alia Proportionis, alia Attributionis, alia transcendentia, alia non transcendentia; cum quibus Regulæ & Diuisiones benè à Philosopho assignantur.

XIX.

PRædicamenta sunt, Coordinationes quidditatiuæ generum & specierum, suntque tantùm decem, inter quæ intercedit distinctio realis. Sed transcendentia, qualia sunt Ens, vnum, bonum, res, aliquid, nullum constituunt Prædicamentum.

XX.

SVbstantia primum inter Prædicamenta tenet locum, & ratio illius formalis Constitutiua, est esse per se, estque alia prima, alia secunda. Proprietates eius sunt sex. Et in hoc Prædicamento intelligentiæ collocantur; sed DEVS nec per se, nec reductiuè ponitur.

XXI.

QVantitas est accidens extrinsecum substantiæ in se, & ideò ratio eius formalis consistit in extensione partium quò ad se. Estque alia Continua, cuius species sunt linea, superficies, & Corpus. Et alia Discreta, cuius species sunt numerus, & oratio. Corporea verò Substantia, non habet partes integrantes sinè Quantitate, cuius sunt tres Proprietates.

XXII.

REelatio Prædicamentalis est Ens reale, nihilque aliud est, nisi cuius totum suum esse, est ad aliud se habere. Et ideò in rebus creatis, Relationes dari omninò necesse est; omnesque relationes, quæ non sunt reales, hinc remouentur, imò & relationes Diuinæ. Fundamenta eius sunt tria scilicet; vnitas & numerus, Actio & Passio, Mensura & Mensurabile. Conditiones verò quatuor. Subiectum reale, Fundamentum Proximum reale, Terminus realis, & inter ista, distinctio realis. Terminatur verò ad aliquid relatiuum, sumitque distinctionem realem, à fundamento & termino, secundùm rationes fundandi, formaliter radicaliter & Causaliter; & habet quinque Proprietates.

XXIII.

QValitas est accidens, quo substantia, siue subiectum determinatur & qualificatur. Vnde ratio eius formalis consistit in eo, quod est dispositio rei, seu adiacens Substantiæ determinatio. Species eius sunt quatuor, videlicet: Habitus & Dispositio, Naturalis Potentia & Impotentia, Passio & Passibilis Qualitas, Forma & Figura: habetque proprietates quatuor.

XXIV.

SEx vltima Prædicamenta, sunt modi seu formæ quædam intrinsecæ, relictæ in subiecto, ex aliqua adiacentia rei extrinseca. Et ideò Actio est For-

ma se-

ma, secundùm quam, in id quod subijcitur, agere dicimur. Passio est actualis receptio termini, seu est actus secundus potentiæ passiuæ. Vnde impossibile est dari actionem Creatam, quæ non habeat subiectum cui inhæreat. Ubi significat realem præsentiam, per quam aliquid dicitur esse præsens loco. Quando, est duratio rerum intrinseca, & persistentia. Situs dicit ordinem, & dispositionem partium in ordine ad locum. Habitus verò dicit illud, ratione cuius res dicuntur indutæ.

XXV.

POstprædicamenta, conducunt ad cognitionem sufficientem prædicamentorum à posteriori. Et numerantur hæc, scilicet: Oppositio quæ est distinctio inter ea, quæ sibi opponuntur, estque alia Relatiua, Priuatiua, Contraria, & alia Contradictoria. Prius, cuius naturam quinque modi constituunt. Modus, qui est in triplici diuisione. Motus, cuius sex sunt rationes. Et habere, quod septem habet proprias formalitates.

XXVI.

SIgnum vniuersaliter sumptum aliud est formale, & aliud instrumentale. Oratio non enuntiatiua est illa, quæ nihil, & Enuntiatiua quæ aliquid affirmat. Propositio est illa, quæ significat verum vel falsum, estque alia affirmatiua, & alia negatiua.

XXVII.

LIcet in Propositionibus contradictoriis singularibus de futuro contingenti, neutra sit determinatè vera vel falsa, probabile tamen est, illas habere nonnunquam veritatem, aut falsitatem, sed contingentem. Discursus essentialiter consistit in iudicio Consequentis, simul & Consequentiæ, & ideo partes eius sunt argumentatio, & Consequentia.

XXVIII.

SCientia, est habitus mentis verus, certus, & euidens, per Demonstrationem acquisitus, estque alia subalternans, & alia subalternata, de cuius essentia, est euidentia, & certitudo intrinseca, ideoque dicit quid distinctum ab Opinione, Fide, Solertia, & Intelligentia.

XXIX.

SYllogismi principia alia sunt materialia, & alia regulatiua, & formalia. Et ex mutatione terminorum tres habet Propositiones. Demonstratio est Syllogismus scientialis, procedens ex veris, primis, immediatis, & notioribus. Alia autem est Demonstratio propter Quid, & alia Quia. Ideoque omnis disciplina discursiua fit ex præexistenti Cognitione.

XXX.

NOn sunt eiusdem in euidentia Dignitatis, etiamsi verè sint Syllogismi, & iuxta veras definitiones, suis non careant Prædicatis, nimirùm Syllogismus Topicus, & Sophisticus.

Soli DEO Honor & gloria, Virgini Immaculatè Conceptæ, Diuis Indigetibus, veneratio perennis.



PERMISSU

Magnifici, Perillustris, & Reuerendissimi Domini,

D. IACOBI BALTAZAROWIC,

S. Th. Professoris, Collegæ Maioris, Ecclesiarum Cathedralis Cracouiensis Canonici, Collegiatæ SS. Omnium Præpositi, Curati Prosouicensis, Contubernij Staringeliani Prouisoris, Studij Almæ Uniuersitatis Cracouiensis Generalis & Vigilantissimi

RECTORIS.

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.